



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 74. Seripandi responsum ad Cæsaris objecta de Pontificis auctoritate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæc. XVI.
A.C. 1563.

§. LXXIV.

*Seripandi responsum ad Cæsaris ob-
jecta de Pontificis auctoritate.*

His Seripandus addebat: „de tertio articulo, in quo ea, quæ ad Pontificiam auctoritatem pertinent, reformari petuntur, certe capere non valeo, quamquam unquam ratione, ac decentia postulari valeat, ut subdito Principem reforment, adeoque assuescant cum eo agere tanquam cum subdito, quo modo facile debita reverentia in contemptum, & arrogantiam degenerare posset: præterea eo facinore nihil magis contrarium videtur, tam Hierarchiæ a Christo institutæ, quam cuivis probi regiminis normæ: quapropter iterum affirmo, quod in hujusmodi rebus Pontifex & Legislatur, & lex sibi esse debeat: non autem a quopiam leges recipere teneatur: de cetero si Cæsar cum eo agere velit, tunc in eodem experientur omnem animi propensionem, quem admodum liquet ex emendatione Romanæ Aulæ, quam jam Pontifex inchoavit, & assidue continuat. Ceterum circa hoc postremum caput, quod maxime periculosum erat, Cardinalis Lotharingius Legatorum animos mirifice recreabat, luculenter contestatus quod

Sæc. XVI.
A.C. 1563.

quod Cæsar firmam, atque integram Pontificis auctoritatem tueri vellet, ac paratissimus esset, non modo non immutare Catholicam Religionem, sed nunquam etiam se subtrahere ab obedientia Principis eam moderantis, ac præsertim Pii IV. de quo maximam, optimamque opinionem habebat, adeo ut vix de alio Pontifice major concipi posset; nam sperabat Cæsar, a Papa quodcumque bonum pro Ecclesia procuratum iri, dummodo a suis consiliariis non induceretur in fraudem, quemadmodum Cæsari certo videbatur antea contigisse; nam conjiciebant nonnulli, quod potissimam culpam Ferdinandus tribuerit consiliis duorum insignium Purpuratorum, Moroni, & Cicalæ, quorum agendi ratio Cæsari minus probabatur.

§. LXXV.

Lotharingii relatio circa residentie caput, & hæc verba: Proponentibus Legatis.

Percepto Seripandi responso Lotharingius Cardinalis transibat ad ea, quæ Cæsar ad illum dixerat de repugnantia, qua Legati sese opposuerant, quo minus Episcoporum jurisdictio, & residentia juris divini declararetur, aut hæc verba, *Proponentibus Legatis e Bul-*

K 4 la